

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 440

**Auteur(s) :** Robert IV d'Argences, Jumièges, Saint-Pierre (abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Reinold, Bû (prévôt)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1179...

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de Robert [IV d'Argences], abbé de Jumièges, au sujet d'un procès pendant entre les hommes de Bû et le prévôt Reinold, à l'occasion de quelques redevances. Il est reconnu que les habitants de Bû, mettant un porc en lard, doivent donner une épaule ou trois deniers au prévôt ; que chaque maison doit lui payer un pain au jour de Noël ; qu'à chaque proclamation de justice, il doit lui revenir six deniers ; qu'au mois d'août, il doit percevoir une gerbe par chaque arpent cultivé.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° CXXVI, t. 2, p. 53-55.

## Dissertation critique

Datation proposée par J.-J. Vernier

Texte établi d'après a

Ego, R., abbas Gemmeticensis, tam presentibus quam futuris, notum fieri volo quod quedam querela inter homines de Beu et Reinoldum prepositum super quibusdam consuetudinibus inter eos habitis diu ventilata, assensu et voluntate tam hominum quam prepositi in presentia nostra apud Beu terminata est et sedata. Ad jus enim prepositure pertinere cognovimus quod si quis hominum predictorum habuerit porcum in domo sua et fecerit baconem, dabit humerum unum vel tres denarios preposito ; qui autem semel enim anno vel humerum vel tres denarios preposito dederit, per totum annum quietus erit. Si quis vero hominum porcum emerit et in domo sua tantum .XV. diebus habuerit, nichil de eo vel de eis, si plures fuerint, preposito dabit. Preter hec autem de unaquaque domo panem unum ad natale Domini habebit. Similiter et de singulis clamoribus justicia prepositi pertractatis, .VI. denarios habebit, quod usus terre vocat destreiz, et in augusto mense de s[in]gulis cultis arpennis unam garbam habebit ; de eo autem quod minus fuerit quam arpennum nichil habebit. Et quotiens[cumque] monachus de Beu tradiderit mansum vel arpennum, de singulis traditis ab accipiente duos denarios habeb[it]. De hiis] autem que ad abbatem et monachos pertinent et ad prepositum, talis est conventio, quod prepositus sive here[s ejus nunquam ibit] ad Tevarvillam compartiatum nisi prius vocaverit monachum vel procuratorem sive famulum cui ab abbate [vel mo]nacho injunctum fuerit negotium. Quod si forte nec monachus nec procurator nec famulus poterit aut noluerit interesse, compartitor tenebitur custodire non minus fideliter decimam quam compartum. Compartitor etiam quicumque fuerit ecclesie Gemmeticensi successione perpetua tactis obligabitur sacrosanctis quod hanc conventionem fideliter observabit. Debet etiam a preposito fieri grantia in masura quam tenet quietam de monachis,

et ibi eadem grantia in perpetuum debet haberi, in qua campartum de Tevarvilla debet fideliter conservari. Hujus conventionis inter abbatem seu monachos et prepositum testes sunt Rogerus cellararius, Hugo de Waipre, Radulfus de Huglevilla, Radulfus de Crutis, monachi ; Johannes Aurifaber, Rogerus Fillol, Herman, Gaufridus de Mortuo Mari, Bernardus de Hauvilla, Willelmus [de] Turovilla, Philippus de Louviler, Radulfus Rufus, laici ; et plures alii. Conventionis vero inter homines et prepositum testes sunt Adam, sacerdos, Willelmus, sacerdos, Alexander, castellanus de Beu, Philippus de Louviler, Gocelinus de Breherval, Galterus de Buxeria, Stephanus de Buxeria, Stephanus Hanstarius, Radulfus Rufus, Herbertus de Buxeria, Hugo Vilain.